Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2133
Quelle:
Copyright:

exarata, cujus initium: *Interrogandum est quis primus rogauerit deum ut anime habeant requiem in penis inferni* &c. *Pauli* Αναβατικον edisseritur in *Fabricii Cod. Apocr. N. T.* P. I. p. 943. Memoratur tamen ibi etiam Revelatio nostra, quam Καταβατικον dicas, e *Cod. Coll. Merton. Oxonii*, quamvis Codex ille *Inferno* substituat *Purgatorium*.

DLXI.

294 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 289. f. partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, olimque *Monasterij Sancte Marie alias Scotorum wyenne*, complectitur sequentia. I. *Incipit liber de habundancia exemplorum Magistri Alberti Episcopi Ratisponen. ad omnem materiam.* Initium: *Quoniam plus exempla quam uerba mouent secundum Gregorium* &c. Finis: *quod non valde timeat omnis homo.* Editus est Libellus hic *Sec.* jam XV. *s. l.* et *a.* sed, ut videtur, *Ulmae* per *Joh. Zeiner* circa 1480. *f.* hoc eodem Titulo, quo tamen illum neque in *Opp. omnib. Alberti Lugd.* 1651. T. XXI. f. in quibus plane desideratur, neque in *Scriptt. O. P.* reperies. At vero *Trithemius* alio illum Titulo *n.* 466. repraesentat, scilicet *de Multiplici Timore*, quo etiam a *Quetifo* et *Echardo* T. I. p. 181. citatur, quin tamen eum tractasse videantur. Summe itaque rarum esse oportet. Repetitur ad calcem *Cod.* nostri Titulus superior, additurque scriptionis annus 1434.

II. *fol.* 65. p. 2. Decreta Concilii *Basileensis* lata *Sess.* XXI. de Cultu divino in Ecclesia et Choro. Prout leguntur in *Collect. Labb. edit. Venet. T. XVII. col.* 317. *Decr.* VIII. pro: *Missa — per secretas orationes ita submissa voce dicitur, quod a circumstantibus audiri non potest*, recte habetur: *praeter secretas orationes* &c. In fine subditur: *Datum Basilee in sessione publica die iouis mensis iunij Anno &c. 35. idus scilicet 5 ante festum pentec.*

III. *fol.* 68. Brevis Tractatio *de triplici Indignitate* accedendi ad Sacramentum Altaris orta vel a natura, vel a gravi peccato, vel a censuris ecclesiasticis. Initium: *De perceptione venerabilis sacramenti dicit apostolus priore ad Cor. XI°. Qui manducat indigne* &c. Finis: *vt in ca° eos de sententia excommunicationis preallegato libro 6°.*

IV. *fol.* 73. *De vicio proprietatis religiosorum*, vel, ut ex calce praeoccupo: *Excerptum ex tractatu magistri ac fratris hinrici de Coesueldia ordinis Carthusien. contra proprietates religiosorum. Westphalus* hic, Priorque *S. Mariae* prope *Montem S. Gertrudis* in *Hollandia*, defunctus 1410. multa reliquit inedita, quae habes in *Trithemio*, in *Petreji Bibl. Carth.* p. 127. et *Bibl. Belg. Foppenii* T. I. p. 438. inter quae et Opus nostrum.